

1

2

29

30

31

32

33

14

DE POETIS NON IMMVNIBVS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
DISPVTABVNT
FRATRES

AVGVSTVS CORNELIVS

I. V. D.

E T

CAROLVS ADOLPH. STOCKMANNI
NVMBVRGENSES.

LIPSIAE A. D. XI. MARTII MDCCCLXXIX

EX OFFICINA WALTHERIA



Cic. in Orat. pro Archia poeta c. 6.

Quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum
caeteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum ele-
brandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi
et corporis conceditur temporum: quantum alii tribuant tempesti-
vis conviviis: quantum denique aleae, quantum pilae; tantum mi-
hi egomet ad haec studia recolenda sumsero?

P A T R V O
ANNIS ET MERITIS VENERANDO
C A R O L O G O T T L O B
S T O C K M A N N O
S A C R V M.

LIBRARY
ANNE HENRIETTE ANNE WILHELM
CARLO GÖTTSCHE
M V C A Z

DE

POETIS NON IMMVNIBVS.

Inter varia illa planeque egregia, quibus ad civitatem ordinandam Imperatores romani usi sunt, instituta, haud exiguum sibi locum vindicat et ratio, qua literarum studia exceperunt, et liberalitas ipsa, qua eorum magistros et cultores amplexi sunt. Nam cum, rebus clarissime gestis, et domi forisque pace adepta, legum latores illi sapientissimi animadverterent, quantum ad animos hominum emolliendos, quantum ad vitam bene instituendam, quantum denique ad rempublicam ipsam administrandam facerent literarum studia et artes liberales: non solum eas omni beneficiorum genere in civitatem invitarunt atque illexerunt, sed et ipsi animos ad illas percipiendas adverterunt, earumque magistros honoribus, immunitatibus, privilegiis cumularunt. Scribit ut plurima alia huius rei testimonia omittam, disertis verbis **ARCADIVS CHARISIVS** a) in hunc modum: *Magistris, qui civilium munerum vacationem habent, item grammaticis, et oratoribus, et medicis, et philosophis, ne hospitem reciperent, a principibus fuisse immatis*

A 3

nitatem

a) L. 18. D. de mun. et honor. §. ult;



nitatem indultam, et Divus Vespasianus et Divus Hadrianus rescriperunt. Conveniunt cum his verba p A V L I : b) Angariorum praeferatio, inquietis, et recipiendi hospitis necessitas et militi et liberalium artium professoribus inter caetera remissa sunt. Tradit idem hoc M O D E S T I N V S , c) et confirmatum etiam legimus Codicis non uno loco, quod et cognoscitur ex integro illo de professoribus et medicis titulo, cuius leges, potissimum autem l. 6. et l. 11. cum huius rei illustrandae causa excitatae iam fuerint ab aliis, hoc apponere non lubet, et vero etiam c. l. 8. C. de metat. et epidemeta. satis superque potest intelligi, in qua H E L I O N I ita rescribunt THEODOS. et VALENT. Imperatores: archiatros nostri palatii, nec non urbis Romae, et magistros literarum, pro necessariis artibus, vel liberalibus disciplinis, nec non picturae professores, si modo ingenui sunt, hospitali molestia, quoad vivent, liberari praecepimus. E quibus omnibus satis, opinor, elucet, quam benigne grammatica, rhetorica, dialectica, medicina, in universum omnes artes ingenuae in urbem receptae, et quanta veneratione, quantisque privilegiis earum professores ornati fuerint. Verum enim vero omnia alia poesi evenerunt, poesi, inquam, cuius

fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Fuerunt

b) L. IO. §. 2. D. de vacat, et excus. c) L. 6. D. de excus. misus,

annun.

Fuerunt quidem eius amatores, ex quo humaniorum literarum cultura expoliri coeperunt Romani, in summo pretio et honore, compararunt sibi etiam sequentibus temporibus apud ipsos imperatores tantum favorem ac gratiam, ut eos in deliciis haberent et in sinu quasi foverent; sed frustra, quantum nos quidem scimus, poetas in numero eorum quaeres, quibus iure civili privilegia concessa fuerunt, et quorum integrum catalogum texuit **GEO. ACACIVS ENENCKELIVS.** d) Quid? quod in ipsa illa poeticae et pictoriae artis affinitate, quam **HORATIVS** his verbis:

— *pictoribus atque poetis*

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas
 testatur, atque in arctissimo illo, quo ambae hae artes inter se coniunctae tenentur, vinculo, poesis, si ad privilegia ipsi eiusque cultoribus concedenda species, non modo prorsus praeterita, sed etiam pictoriae posthabita fuit. Nam **VALENTINIANVS** Imperator una cum collegis e) *Picturae Professores*, inquit, si modo ingenui sunt, placuit, neque sūt capitis censone, neque uxorum, aut etiam liberorum nomine, tributis esse munificos, et ne servos quidem barbaros in censuali adscriptione profiteri: ad negotiatorum quoque collationem non devocari, si modo ea in mercibus habeant, quae sunt propria artis ipsorum: pergulas et officinas in locis publicis sine pensione obtineant, si tamen in his usum propriae artis

d) Lib. II. c. I. p. 163. sqq. de pri- re illustratam in peculiari libello, qui vilegiis iuris civilis, Ratisb. 720. 4. editus fuit a Cel. **GEO. THEOPH.**

e) L. 4. Cod. Theodos. de excus. BOERNERO super privilegiis pi- art. quam legem memini me lege. etorum, Lipi. 751. 8. p. 54.



artis exerceant: neve quenquam hospitem recipient, lege praescripsimus: neve pedaneorum iudicium sint obnoxii potestati: arbitriumque habeant consistendi in civitate, quam elegent: neve ad prosecutiones equorum, vel ad praebendas operas devocentur: neve a iudicibus ad efficiendos sacros vultus, aut publicorum operum expositionem sine mercede cogantur. Quae omnia sic concessimus, ut si quis circa eos statuta neglexerit, ea teneatur poena, qua sacrilegi coercentur. Neque aliter de pictoribus CONSTANTINUM f) cogitasse animadvertisimus, dum artifices per singulas civitates morantes ab universis muneribus vacare praeceperit; siquidem in edicendis artibus otium sit accommodandum, quo magis cupiant et ipsi peritiores fieri, et suos filios erudire. Ast tantum abest, ut privilegio ullo ornati fuerint poetae, ut potius legem expressam habeamus in contrarium scriptam: POETAE NVL LA IM-
 MVNITATIS PRAEROGATIVA IVVANTVR. g) Barbara sane et a legislatore romano vix expectanda sanctio! Quapropter cum in tanto illo planeque eximio honore, qui poetis Romae habitus fuit, artifices, imo alii vilissimi generis homines, quibus longe anteponendi sunt poetae, immunitates acceperint, his non solum non concessas, sed proflus etiam, nulla ratione adiecta, denegatas: haud debet videri mirum cuiquam, quod disputatione inter se romanarum legum interpretes varie de inventienda et exponenda ratione, cur in tanta privilegiorum multitudine, quae artium liberalium optimarumque disciplinarum magistris tam largiter concessa sunt ab imperatoribus, soli poetae in digni

f) L. I. C. de excus. art.

g) L. 3. C. de Prof. et Med.

digni visi, qui ullis praemiis excitarentur, aut honoribus beneficiis promoverentur. Nam praeter eos, qui, aut singulas codicis leges observationibus illustrarunt, aut, data occasione, paucissimis tantum verbis et ὡς ἐν παρόδῳ non nihil ea de re commentati sunt, habemus peculiarem commentationem ab ALBERT. GENTILI b) ad illam legem conscriptam, quem recentiori etiam aetate fecutus est Cel. IO. FRID. EISENHART. i) At quamvis in argumento hoc tractando multa cum eruditione ac diligentia versati iam sint doctissimi ii viri, tamen, cum rationes ab ipsis traditae non eae mihi viderentur, quae cum Romanorum moribus satis convenienter, operae pretium esse duxi, collectis variis eruditorum sententiis, quae mihi, et poesin et iuris prudentiam, solidiorem illam ac veram, amanti, inter legendum ea de re in mentem venerint, ea proferre, atque data hac scribendi opportunitate, cum iustis harum rerum arbitris communicare. In qua quidem re suscipienda ita versabor, ut primo de auctore huius legis ipso non nihil disputerem, deinde diversas eruditorum sententias, qui in ratione huius legis investiganda operam suam posuere, in medium proferam, et ultimo tandem loco, quid mihi quidem de illa re videatur, adiciam, si quid videre mihi videor. Cogitanti autem mihi sic de ordine et limitibus,

b) In comm. ad L. III. C. i) In Diff. ad l. 3. C. de Prof. et de Prof. et Med. reperitur in eiusd. Med. quae eiusdem opuscul. iurid. p. comment. ad Tit. Cod. de malef. et 235. inserta legitur, mathem. qui Hanoviae 604.8. prodidit. p. 81.



mitibus, quibus hanc qualemcumque scriptiunculam inclusam vellem, et quae chartulis meis annotata habebam, digerenti in manus venit, cum nescio, quid aliud sciscitarer, Illustris atque Ereditissimi Academie nostrae Antecessoris, et Praeceptoris summopere devenerandi I. L. E. PÜTTMANN^{k)} de eodem argumento nuperime conscripta commentatio, qua perfecta, cum animadverterem, quanto studio et diligentia in ea re tractanda versatus iam sit vir doctissimus, statim constitutum habebam apud animum, dimictere hoc meum consilium, et quae annotata in scrieniis servabam, prorsus sciponere. Existimabam enim, nonnullos hunc laborem meum tanquam inutilem ac plane superfluum condemnaturos, alios, me actum agere, reprehensuros esse, praesertim cum occurreret illud MARTIALIS:

Scriberamus epos: coepisti scribere: cessi.

Sed cum more academico proponendus esset libellus, qui studiorum nostrorum rationem redderer, et cum in ipsa hac re tractanda, quam non eruditio*nis* iactandae, aut famae consequendae, sed solius ingenii exercendi gratia in nos suscepferamus, conatus nostri viderentur quodammodo alieni esse ab eruditissimi illius viri diligentia, quam imitatione dignissimam censebamus: perreximus, auctoriibus viris doctis, ea, qua cooperamus, via incedere, et nostra quoque ea de re cogitata in publicum proferre ausi sumus: quod quidem nobis aequos harum rerum aestimatorem eo facilius

con-

^{k)} De poetis privilegiorum exortis, adversariis iuris universi, Lips. 778,
tibus, ad l. 3. C. de Prof. et Med, in 8. Tom. II. cap. II. p. 37. sqq.

condonaturos esse confidimus, quo vehementius, ut iuvenili ingenio aliquam veniam dent, eos cupimus rogatos.

§. I.

De auctore legis nonnulla exponuntur.

Tradituro autem mihi rationes durissimae illius constitutionis: POETAE NVLLA IMMVNITATIS PRAERO-
GATIVA IVVANTVR, a PHILIPPO Imp. promulgatae,
quoniam haud iniucundum est, e rerum gestarum monumentis ea
depromere, quae ad iurisprudentiam quocunque modo illustran-
dam pertinere videntur, praefanda quaedam veniunt de ipso le-
gis conditore, praesertim cum iuris interpres nonnulli, quem-
admodum suo loco videbimus, Philiippi hanc constitutionem non
poeticas contemtui, sed amori eius erga religionem Christianam,
nimio cuidam et superstitioso, originem suam debere existima-
verint. Fuit ille humili et obscuru genere natus, animo et aetate ferox, sed more suaे gentis vafer et superbus. Patriam ha-
buit Bostra, locum in Arabia, unde Arabis cognomine insignitus
est, ignobilem, sed suis auspiciis cultum, portis murisque cinc-
quam et ad iustam urbis formam extructum. Certe huius rei te-
stem habemus ΖΟΝΑΡΑΜ, scribentem: 1) πόλιν βασιλέυσας
ἐπώνυμον ἔστω ἐδομήσατο, Φιλιππάποιν ὄνομάσας αὐτὴν.
Institutus disciplina militari cultuque romano, occupavit impe-
rium, exercitu sibi conciliato, et Gordiano tertio, a quo in locum
parentis ascitus et in consortium acceptus erat, occiso, scelere ac

B 2

perfi-

¶ In annal. libr. XII. c. 19.



perfidia. *m)* Insidiis ac fraude partum initumque anno Chr. CCXLIV. imperium, quod una cum Gordiano iam per mensēs aliquot habuit, et cuius postea consortem fecit filium suum Philippum Caesarem, crudeliter atque avare per quinque annos administravit, interfectus dein, concitata seditione militari, iussu sive impulsu Decii Veronae una cum filio, qui Romae occisus est. Supersunt variae Philippi Arabis constitutiones, in quibus observandum venit hoc, quod, quam diu, extorto per milites consortio, cum Gordiano imperavit, uterque, quoniam inter eos non conveniebat, separatim leges emiserit, sui unius nomine praescripto, cum alioqui collegae collegarum nomina simul praeponerent, qua de re pluribus videndus est *PAGIVS n)* et qui eius rei exemplum attulit, *IO. AVG. BACHIVS o)* Sed quae magis ad rem nostram faciunt, controversa quidem et ambigua illa, de Philippo Christiano Principe, ea paulo diligentius nobis iam sunt exponenda. Vehementer enim ea de re, adductis in utramque partem argumentis, disputatum fuit a viris eruditissimis, inter quos potissimum, data opera, editisque integris commentariis, hanc rem illustrarunt, et Philippum Christianum fuisse contendenterunt,

Christia-

m) Vid. *IVLIVS CAPITOLINVS* in Gordiano III. c. 29. *EVTROPIVS* lib. IX. c. 3. *OROSIVS* lib. VII. c. 20. *CASSIODORVS* in chronic, ed. Wechel. II. 381. *ZOSIMVS* lib. I. c. 18. et 19. et *ZONARAS* I. c.

n) In crit. Bar. ad ann. Chr. 244.

o) In hist. iurispr. rom. lib. III. c. II. §. 15 p. 433 not. g) et *HOFFMANNI* hist. iur. lib. I. cap. I. per. V. p. 274.

*Christianus KORTHOLDVS, p) CIAMPINVS, q) CUPERVS, r)
TILLEMONTIVS; s) cum e contrario id negaverint SPER-
LINGIVS, t) PAGIVS, u) SCHVRTZFLEISCHIVS, x)
CELLARIUS, y) aliquie, quos omnes enumerare et longum fo-
ret, et ab instituti nostri ratione alienum. Iam vero, ut declare-
mus, quo noster animus inclinet, et quid nos quidem in tanto et
veterum et recentiorum scriptorum dissensu statuimus, quo cer-
tius a maioribus traditum, fuisse Philippum Christianorum coetui
coniunctum, eo minus id nobis vero simile est, veterum auctorum
loca ipsa ponderantibus. Ac prima quidem sententiae nostrae*

B 3 probatio

p) In diff. hist. de Christianismo
Philippi Arabis, Alexandri Mameae,
Plinii Iuuioris et Senecae, Rostochii
662. 4. edita. add. DE LA FAYE
Theologiae in Helvet. Profess, libel-
lus: Entretiens historiques sur le
Christianisme de l'Empereur Philip-
pe, dans lesquels on preuve et on
etablit ce Chrifianisme 690. 8. galli-
ee editus, AHASV. FRITSCHIVS in
notis ad ANTONII FABRI librum de
religione regenda. Francf. et Lips.
665. 4. lib. I. cap. X. p. 75. et WET-
STEINIVS in praefatione ad Origenis
dialog. contra Marcionitas.

q) In disquisitione histor. an duo
Philippi Imperatores fuerint Christi-
ani. Romae 691.

r) In epistolis amoebaeis, quae re-
periuntur in Poleni supplement. ad
thesaurum utrumque Venetiis 737.
fol. Tom. IV. p. 34-49.

s) Hist. des Empereurs Par. 702. I.
III. in animadv. p. 494. seq.

t) In epist. amoeb. I.c.

u) Crit. Baron, ad ann. Chr. 247.

x) In diff. de Philippis Augustis
698. defensa atque adiecta Diff. iun-
ctum editis Vol. II, num. LXIV, et
oper. historic. politic. p. 536, sqq.

y) In diff. academ. varii argumen-
ti Lipf. 712. 8. Disp. XIV. P. I, p.
298. sqq.



probatio posita est in silentio scriptorum profanorum, qui, cum in tradendis et commemorandis Imperatorum rebus sint diligentissimi, profecto tam insigne mutatae religionis exemplum nullo modo tacuisse, imo potius, si Philippus vere Christianorum fidem professus esset, illud ipsum ei exprobraissent. Certe **ZOSIMVS**, qui tam iniquus est in **Constantinum M.** et **DIONYSIUS ALEXANDRINVS**, qui ipsis Philippi et percussoris eius, Decii temporibus floruit, eius rei ne verbo quidem mentionem faciunt. Fuit praeterea Philippus, cuius ingenium optime explicuit in Gordiano **CAPITOLINVS**, a natura sic constitutus, ut, pluribus turpitudinis notis, scelerumque vestigiis passim relictis, in ipsum tanquam latrocino infamem et parricidam, ne suspicio quidem ulla cadere posset religionis mutatae. Accedit, quod ludi seculares, publice editi, diisque consecrati, quos Philippus millesimo Vrbis anno, cum Romae natalis esset, solenniter instituit, minime omnium congruant cum religione Christiana. **IVLIVS CAPITOLINVS**
z) omnia hæc, iuquit, (nimur vari generis animalia, feras mansuetas et efferas) **Philippus exhibuit secularibus ludis, et munieribus atque Circensibus**, cum millesimum ab urbe condita annum in consulatu suo et filii sui celebravit. At vero eos ipsos ludos seculares, Christi potuis, quam duorum cultui vindicare voluerunt adversae sententiae fautores, fulti Orosio, qui, cum de millesimo urbis natali egisset, ludis magnificis augustissimum hunc omnium praeteritorum annum a Christiano Imperatore celebratum

z) In Gordiano cap. XXXIII, EUTROPIVS lib. IX. c. 3, OROSIVS lib. VII. c. 20.

* * *

tum tradit, nec dubium est, inquiens, quin Philippus huius tantae devotionis gratiam et honorem ad Christum et ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias nullus auctor ostendit. Ostendit potius nullus idoneus auctor, cum aut deorum templa clausisse, aut Christo dedicasse, aut alia egisse, quae Christianam vitam probarent. Namque huius rei causa adduci solent acta Pontii, in quibus traditur de fano Iovis subruto, eiusdemque simulacris funditus deletis, ea, quoniam plurimis suspecta sunt, nec veri speciem habent, nec Petavium a) ad assensum inclinare potuerunt. Silencio praetereo, quod vita illa Pontii a Surio haud accurate edita ei hac fabula, quae in aliis codicibus haud legitur, locupletata fuerit, quoniam id satis iam a Schurzfleischio observatum est: quanquam in novissima Baluzii b) editione, qui in notis ad acta Martyrum p. 494. contendit, eam reperiri in antiquis codicibus, deprehendatur. Illud potius urgeo, quod, etiam si v. A. LERIO, qui hanc Pontii vitam scripsisse fertur, fides habenda sit, ipsi probandum fuisse, Philippos in gratiam Christianorum sana destruxisse, clausisse, in Christiana mutasse, quod non fecit. Neque enim satis est ad religionem colendam, ut quis a Christianorum sacris non abhorreat, aut in eorum coetu versetur, sed ut publice se civem Christianum profiteatur atque in fide perseveret. Quid? quod satis refutari possunt illa Orosii verba ex

EVSEBIO

a) De doctrina temporum Lib. XI. c. 25. b) Miscellan. Lib. II. cap. X.
p. 130. 131.



EVSEBIO *c)* et VICTORE *d)*, qui contrarium huius rei tradidit, dum filium Philippi scribit adeo severi et tristis animi fuisse, ut patrem ludis secularibus petulantius cachinnantem, quanquam adhuc tener, vultu notaverit aversato. Et in ipsis iis festis secularibus nihil Christianorum rituum, nullum eorum vestigium. Ingenti enim, teste EUTROPIO, ludorum apparatu spectaculorumque celebravit. Vnde bene HEINECCIVS *e)* sieri non potuit, inquit, quin de emendando iure, abolendisque, quae pagana superstitionem sapiebant, serio cogitaverit Philippus, homo ille sceleratissimus, eiusque rei vestigia in eius constitutionibus extarent, si pio Christianorum coetui sese adiunxisset. Suffragantur etiam his verba EUTROPII, qui utrumque Philippum inter divos relatum fuisse refert, quae quidem cum principe Christiano non cohaerent. At, inquiunt contrariae sententiae patroni, testantur ipsi scriptores Christiani omnia alia. Eusebius *f)* Philippum Christianorum fidem professum esse prodidit, et Origenes fertur duas epistolatas, unam ad Philippum, primum de regibus romanis Christianum, ad matrem eius alteram compo- suisse. Bene quidem. Scribit enim Eusebius, famam esse, Philippum, Χριστιανὸν ὄντα, cum reliquo populo sacrorum partici- pem factum, posteaquam propter commissa crimina poenitentium ordini se adiunxisset. Sed diu iam demonstrarunt viri erudi- tissimi, in primis etiam FRITSCHIVS et SCHURZFLEISCHIVS,

c) In Chronico ad ann. Chr. 244. *e)* In hist. iur. civ. Lib. I. §. 326.

d) In Epitom. cap. XXVIII. *f)* Hist. Eccles. Lib. VI. c. 34.

in not.

SCHIVS, Philippus plures extitisse, et scriptores hoc nominum similitudine deceptos suaque culpa in errorem esse ductos, adeo, ut refutando huic argumento diutius immorari non necesse sit. Loquitur enim Eusebius de alio Philippo, praefecto praetorio, qui in numerum Christianorum ascriptus errandi occasionem prae-
buit. Et quod de duabus illis epistolis, ab Origene conscriptis proferunt, ex iis, cum copiam earum facere nobis haud possint, argumenta in hac controversia decidenda nullo modo possunt de-
promi. Vere igitur HVETIVS, g) si duae illae supereffent epistolae, quas Origenes ad Philippum Imp. eiusque uxorem Ota-
ciliam Severam scripsit, certo, ait, coniici posse, verene Christo adbaferint, quemadmodum ab auctoribus Christianis proditum est, an a Christianis partibus fuerint alieni, quod persuadent ethnicorum
auctorum de nova ab iis suscepta religione silentium, et multorum
praeterea tum christianorum, tum ethnicorum consensus, a quibus
primus inter Imperatores Christum professos Constantinus celebratur.
In rei huius obscuritate igitur ita sentit HVETIVS, ut initia-
tum Christi sacris a Fabiano Papa fuisse Philippum statuat, sed
occulte, idque clam ethnicos habuisse, ne quid inde res suae de-
trimenti caperent, quas pristinae religionis eiuratae fama forsitan
conturbasset, eamque ob rem tacitum illud esse ab ethnicis scri-
ptoribus, a Christianis celebratum. Imo vero scriptores Chri-
stiani fide dignissimi plane huius rei contrarium suadent, uno ore,
Constantinum M. primum Imperatorem Christianum fuisse profi-
tentes. Nam quod notatu dignissimum est, ante ipsum iam
Eusebium,

g) Lib. I. Origenian, c. 3, n. 12;



Eusebium, LVCIVS CAECILIVS LACTANTIVS, cuius magna est auctoritas, et rerum proximarum aequae ac superiorum notitia insignis, clarissimis verbis scriptum reliquit; Constantimum Imperatorem, primum Romanorum principum, repudiatis erroribus, maiestatem Dei singularis ac veri et cognovisse et honoravisse. b) Affirmat idem hoc Eusebio quidem scriptor recentior, sed disertus et elegans, SVLPICIVS SEVERVS, i) Constantinus, inquiens, primus omnium Romanorum principum Christianus fuit. Quid? ipse Eusebius, quemadmodum viri eruditio ostenderunt, fertur nonnulla tradidisse, quae fama accepit,

malo, quo non aliud velocius ullum

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,

Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.

Vnde facile fieri potuit, ut fama, quae de emendata Philipporum religione percerebuerat, eam enim innuit ipse Eusebius verbis: τῇτον κατέχει λόγος χριστιανὸν ὄντα, non firmissimis fundamentis nisi scriptorem sefellerit monumentorum auctoritate destitutum. Ceterum quae ad significandam religionis Christianae tesseram de numo Apamenium, Philippo Senioris imagine signato, in cuius aversa parte conspicitur effigies arcae, quadratam figuram referentis, et tres literas, quae nomen ΝΩΣ conflant, incisas habentis, adeoque eluvionis Deucalionae memoriā renovantis, docte in medium allata sunt ab OCTAVIO FALCONERIO, k) et qui in huius viri sententiam abierunt,

ATHA-

b) Divin. institut. L. I, cap. I. k) In diff. de numo apamenfi p.

i) Saer. hist, Lib. II. c. 48.

168. et 187. fqq.

ATHANASIO KIRCHERO ET CIAMPINO; ea iam ita profligavit SCHVRTZFLEISCHIVS, ut diutius iis immorari superfluum foret. Occurrunt potius alii Philippi senioris numi; qui Iovis in templo, sex columnis immixo, sedentis imaginem exhibent. In iis autem, quod expressum legitur pietatis vocabulum, officium illud, quod parentibus et bene meritis praestari solet, denotare, unusquisque, qui vel mediocriter in latinitate versatus est, cognitum habet perspectumque. Quapropter quicquid in huius de suscepta Philippi religione christiana argumenti obscuritate disputatum fuit, id omne ita est comparatum, ut in numerum Christianorum nullo modo eum ascribendum statuamus, cum nullum vestigium appareat, quod Christianam augusti nominis pietatem commendet. Praeterea si qui futuri sunt, qui, perlexis his, dubii adhuc, et, Eusebii auctoritate adducti, aliter sentiant, iis, quo liberalissimi simus, sententiam Cellarii reponimus, qui, quicquid veteribus materiem gloriandi dedit, id omne de favore in Christianos, non de vera confessione interpretatur. Et vere. Tiberium enim et alios Imperatores, qui Christum in larariis sibi colendum posuerunt, Christianos defenderunt, in aula tolerarunt, eorum conatus non obliterunt, nullis persecutionibus contemserunt, eos Origines vocat εὐτεβῖς καὶ θεοσεβῖς, non quod ipsi professi sint religionem christianam, neque etiam ullo loco id dicit, sed propter plium propensumque animum, quo in Christianos ferebantur. De Philippo certe testem huius rei excitare possumus ZONÁRAM, qui, commemoratis aliorum opinionibus, ex sua sententia statuit: ὁ Φίλιππος εὐμενὸς ἦν τοῖς Χριστιανοῖς.

C 2

§. II.



§. II.

Poeseos apud Romanos fata commemorantur.

Expositis iis, quae de legi auctore praemittenda necessaria ducebamus, iam, quo constitutionis adversus poetas editae duries eo melius possit intelligi, priusquam ad legem, de qua non nihil disputationi sumus, animum appellimus, haud ingratum futurum esse lectoribus arbitramur, si de ipsa poesi, et de honore, eius cultoribus a Romanis habito, paucissima neque a re proflus aliena cum iis, qui recte iudicare volunt, communicamus. Ac primum quidem, quemadmodum ceterarum artium ac disciplinarum, ita et poeseos parva apud Romanos initia et seris demum temporibus facta esse, res nota et rerum gestarum monumentis sat confirmata est. Neque id mirum videri debet cuiquam, qui paulo diligentius in animum revocat, eandem fere fortem et antea eam tulisse in Graecia, cum Homeri etiamnum hymni extent, quos per villas et pagos mendicando circumvagus vel infimo populo fertur decantavisse. Etenim qui fieri potuisset, ut homines agrestes, inter quos ii tantum nobiliores atque egregii habebantur, qui strenue pugnando acres et in rebus gerendis excellenti animo et virtute alias praestitissent, ut tales, inquam, homines statim artes in urbem reciperent, quae ferum quemquam esse haud patiuntur. Qui igitur paulo diligentius de poetice scriperunt, eiusque originem accurate investigarunt, M. V A R R O potissimum et V V L C A T I V S S E D I G I T V S apud veteres, quorum opera quidem intercederunt iniuria longae vetustatis, tum vero etiam e recentioribus, qui illos fecutus diligent studio de hac historiae parte varia compo-

+ + + + +

composuit PETRVS CRINITVS: *1)* ii hanc a Romanis facultatem receptam demum esse afferunt annos post urbem conditam supra CCCC. Ex quo enim tempore pacem et pacis commoda vindicare sibi cooperunt Romani, ex eo etiam pulchrum et magnificum crediderunt reipublicae operam navare, et in senatu bene dicendo ac reliquis disciplinis percipiendis ingenium instruere, cuius rei testem habemus Horatium *m)* canentem:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes

Intulit agrefi Latio.

Quibus verbis quid significavit aliud, nisi hoc, Graecorum literas Romanam transmigrasse, pace cum hostibus facta? Sed ut ordine procedamus, Numa Pompilio adhuc imperante, et occupata iam tum armis civitate, facta sunt Saliorum carmina, inulta illa quidem et incondita pro temporum vetustate, adeoque parum posteris seculis intellecta, sed a sacerdotibus Martis Gradivi, ancilia gestantibus cum tripudiis et solenni saltatu certis diebus per urbem decantata. *n)* Post et devotionum sacra vulgata, et laudes deorum versibus celebratae sunt, quibus more suo aut deos comprehenci consueverunt, aut urbem insigni aliquo prodigio expiare. Praeterea, quemadmodum ex Homero in procorum epulis discimus in conviviis etiam carmina composita sunt. Certe apud Ciceronem *o)* legitur: *atque utinam extarent illa carmina, que multis seculis ante suam aetatem in epulis esse decantata a singulis convi-*

C 3

vis

1) De poetis latinis libri V. 510. *n)* Vid. LIVIVS lib. I. cap. 20.
fol. p. 97, sqq.

m) Lib. II. Ep. I. v. 156. *o)* CIC. in Bruto cap. 19.



vis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato! tamen illius, quem in variis et Fauni enumerat Ennius, bellum Punicum, quasi Myronis opus, delectat. Mox quod veterum commentariis a P. Licinio Tegula et Martio potissimum factum esse traditur, populi Rom. facta describi coeperunt, obscuris versibus,

:quos Fauni vatesque canebant,

Cum neque Musarum scopulos quisquam superararat,

Nec diffi studiofus erat.

Iisdem autem temporibus poeticae singulare opera illustravit atque in urbem intulit Livius Andronicus, qui primus apud Latinos fabulas dedit fertur eo tempore, quo Romani pacem inierunt cum Poenis. Certe CICERO p) doctrina, ait, Graecia nos et omni litterarum genere superabat; in quo erat facile vincere non repugnantes. Nam cum apud Graecos antiquissimum sit e doctis genus poetarum, siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romanum conditam, Archilochus, regnante Romulo; serius poeticae nos accepimus: annis enim fere CCCCX, post Romanam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Cacci filio, M. Tuditanu, consulibus, anno ante natum Enniu: qui fuit maior natu, quam Plautus et Naevius. Unde apud Gellium q) Servius dicit:

Punico bello secundo Musa pennato gradu

Intulit sese bellicosam in Romuli gentem feram.

Comme-

p) Tusc. disput. lib. I, cap. I. et in
Bruto. cap. 18.

q) Noct Attic. lib. VII, c. 21.

Commemorat etiam conditum ab eodem Livio poeta in Iunonem reginam carmen t. LIVIVS r), illa tempestate, sunt eius verba, forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum, si referatur. Recepta sic una cum reliquis literarum studiis haec facultas magis coepit illustrari et expoliri ab Ennio, Plauto, Naevio, et aliis, qui Graecorum disciplinas imitati carminibus fabulisque Romanorum ingenia excoluerunt. Qua in re illud observandum est, quod, quanquam gratissimus fuerit Scipioni Ennius, Mario Plotius, C. Laelio Terentius, quem cum illo ita familiariter vixisse tradunt, ut eius fabulae a nonnullis Laelio ascribantur, Accium poetam denique, quia in carmine scribendo praeclaro ingenio esset, vehementer amaverit Decius Brutus, nihil minus rainen, qui poeticas studio tenebantur, principio in Urbe contemtui habiti sint. Tradit enim CICERO s) sero a nostris poetae vel cogniti vel recepti. Quanquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus: honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit, ut probrum, M. Nobilitori, quod is in provinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille in Actoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus igitur honoris erat poetis: eo minora studia fuerunt. Sequenti tamen tempore factum est, ut, aucto imperio, et civitate constituta, summo honore, ac veneratione ornati fuerint, qui carmine absolvendo videbantur excellere. Certe de Ennio a Catone Romam deducto memoriae

r) Hist. rom. lib. XXVII. c. 37.

s) Tuscul. disput. l. I. c. 2.



memoriae haec prodidit CORNELIUS NEPOS: t) ex Africa
discedens Cato Q. Enium deduxerat, quod non minus exigitamus,
quam quemlibet amplissimum Sardinensem triumphum. Conveniunt,
ut alia huius rei testimonia mittam, cum illis verba LIVII, u)
et Romae, inquit, extra portam Capenam in Scipionum monu-
mento tres statuae sunt, quarum duae Pubpii et L. Scipionum dicun-
tur esse, tertia poetae Q. Enni. Neque aliter refert CICERO, x)
carus fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam in se-
pulchro Scipionum putatur is esse, constitutus e marmore. Extre-
mis potissimum reipublicae temporibus honor, qui poetis habe-
batur, insigniter auctor est. Foret ab instituti ratione alienum,
si fusius id exponere vellem, cum certissima maximi honoris testi-
monia habeamus, Maroni, Flacco, aliisque tributi, qui non so-
lum Augusto vehementer probati, sed etiam ab universo populo
romano summa veneratione excepti sunt. Scribit enim, ut
tantummodo huius rei exemplum in Virgilio conspicuum addam,
CORNELIUS TACITVS, y) aut quisquis dialogi de oratori-
bus auctor sit, eum in modum de poetis: plures hodie reperies,
qui Ciceronis gloriam, quam qui Virgilii detrectent. Nec nullus
Ennius aut Messallae liber tam illustris est, quam Medea Ovidii, aut
Varii Thyastes. Ac ne fortunam quidem vatum, et illud felix
contubernium comparare timuerim, cum inquieta et anxia oratorum
vita. Licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evoxe-
rint: malo securum et secretum Virgilii secessum, in quo tamen
neque

t) In vita Catonis cap. I.

x) Orat. pro Archia cap. 9.

u) Lib. XXXVIII, c. 56.

y) Cap. 12. et 13.

❧

neque apud divum Augustum gratia caruit, neque apud populum romanum notitia. Testes Augusti Epistolae, testis ipse populus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum. Ipse autem Augustus delectatus est poetis eum in modum, ut non summa solum familiaritate cum iis viveret, eorumque carminibus legendis et audiendis multum temporis tribueret, sed et ipse maxima animi voluptate in hoc disciplinarum genere versatur: cuius laudabile exemplum secuti alii etiam Imperatores eo progressi sunt, ut in agonibus Capitolinis ludorum Olympicorum exemplo primum a Domitiano ^{a)} institutis, in quibus praeter artifices aliarumque professionum homines etiam oratores et poetae certabant, ii ipsi ab Imperatoribus coronati sint? Tribuebantur enim in iis praemia pro meritorum ratione, cum qui vicerant, ii corona et ramo lemniscatis, aut torque involutis donarentur, qui contra secundi erant, eorum coronae et palmae sine lemniscis essent, quod ex AVSONII verbis cognosci potest:

Et quae iam dudum tibi palma poetica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret,
ad quem locum diligenter ac plura de ea re collegit IOSEPHVS
SCALIGER. ^{a)} Neque aliunde poetarum laureatorum morem
manasse

^{a)} Vid. SVETONIUS in vita Domitian. cap. 4. Ceterum de agone hoc ipso omninoque quinquepalibus agonibus ab Imperatoribus rom. inquit vid. SCALIGERI immor-

tale opus de emend. temp. lib. V. p.
476, sqq. add. ROSINI antiquit.
rom. p.m. 474.

^{a)} In lect. Aufon. lib. I. cap. 10.

D



manasse arbitror, cum ii etiam antiquitus ab ipsis Caesaribus Germanis coronati, magnoque in pretio habiti fuerint, qui eum honorem ingenii virtute consecuti essent.

§. III.

Poetarum in rempublicam merita.

Iam vero, ne nimium genio indulgentes videamur abutivelle patientia lectorum, quoniam fuerunt, qui poetas nullius in rempublicam utilitatis, ipsosque propterea privilegiis orbatos esse contendenter, paucissimis tantum, quam egregie de republica meriti fuerint, ostendamus. In qua quidem re fuscipienda ita versabimur, ut, quam praeclare de republica, cui in pueris instituendis, oratoribus et ictis formandis utilissimi fuere, meriti sint, demonstremus sola veterum scriptorum auctoritate fulti. Nolo enim iam ea proferre, quae ex antiquissimis temporibus, quibus reges ac principes comites sibi adiunixerunt poetas, eorumque consiliis, quibus magnam ipsis et reipublicae utilitatem praefliterunt, usi sunt, repetenda essent. Exemplo Philoxeni et Arati, quanto eam ob rem in pretio poetae quandam fuerint, satis docuit P A V S A N I A S in Atticis. Pari ratione Archelao, Macedoniae regi Euripedem, Pollicrati Samio Anacreontem, Simondem, Pindarum, Bachilidem, Hieroni Siciliae tyranno, aliis alias carissimos fuisse, veterum commentariis traditum fuit. Neque aliter etiam apud Romanos evenit, quanquam Augusti aetate iam de temporibus iis praeteritis conquestus sit OVIDIUS b) canens :

Cura

b) Art. amat, lib. III. v. 405.

~~~~~

*Cura Deum fuerunt olim regumque poetae,  
 Praemiaque antiqui magna tulere chori.  
 Sanctaque maiestas, et erat venerabile nomen  
 Varibus, et largae saepe dabantur opes.  
 Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,  
 Contiguus ponit, Scipio magne, tibi.  
 Nunc ederae sine honore iacent: operataque doctis  
 Cura vigil Masis nomen incertis habet.*

Sed de poetarum meritis dicendum est, quorum, si pictores, aut oratores, aut qui primas literas docebant, de republica bene meriti esse censentur, cum non vivi solum, sed et post mortem docent poetae, haud exigua profecto documenta extant. Aureum certe illud seculum poetis ac vatibus abundavit, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenserent. Unde *TACITVS* c) nec ullis, inquit, aut gloria maior, aut angustior honor quam poetis: primum apud deos, quorum proferre responsa, et interesse epulis ferebantur: deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos nemo caudicorum, sed Orpheus ac Linum, ac si introspicere alius velis, ipsum Apollinem accepimus: vel si hacc fabulosa nimis et composita videntur, illud mibi certe concedis, Aper, non minorem honorem Homero, quam Demostheni apud posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quam Lysiae aut Hyperidis includi. Tametsi enim eorum de republica merita parva quodammodo videntur ac viliora, quam ut statim in oculos currant, variis tamen ii modis, reipublicae, si eius administratio et decus

D 2

vel

c) Dialog. de orat. cap. 12.



vel e rebus parvis efflorescit, utilitatem praestant. Namque, ut  
mittam, quantum ad asperitatem exuendam, ad mores formandos,  
animos emolliendos attrulcrint, sane in eo ipso, quod probitatis  
ac virtutis, cuius magistri esse feruntur, praecepta tradant, et res  
praeclare gestas ornant, haud leviter de republica meriti sunt. Ete-  
nim teste CICERONE d) cum magnam speciem doctrinae sapien-  
tiaeque prae se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inbae-  
rescant penitus in mentibus. Nec minorem quoque utilitatem rei  
publicae attulerunt, dum in puerorum institutione vocem eorum,  
quo emendate loqui disserent, formabant atque effingebant, quo  
pertinet illud HORATII: e)

— — — — — *utilis urbi*  
*Os tenerum pueri, balbumque poeta figurat.*  
*Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem.*  
*Mox etiam pectus praecepis format amicis,*  
*Asperitatis et invidiae corrector et irae:*  
*Recte facta refert: orientia tempora notis*  
*Instruit exemplis: inopem solatur et aegrum.*

Testatur hoc etiam CICERO, cuius vox Archiae poetae hortatu  
atque praeceptis formata fuit, quoad longissime, inquiens, potest  
mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memo-  
riam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc (Archiam poetam)  
video mibi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem  
borum studiorum extitisse. Praeterea quoniam in scholis apud Ro-  
manos legebantur poetae; nonne scriptis et carminibus suis de re-  
publica

d) Tuscul. Disput. lib. III.

e) Lib. II. ep. I. v. 124.

publica bene meriti sunt, cum, docente QVINCTILIANO, f)  
optime institutum sit, ut ab Homero vel Virgilio lectio inciperet,  
et cum sublimitate heroici carminis animus assurgat, et ex magni-  
tudine rerum spiritum ducat, et optimis imbuatur? *Utiles tra-  
goedi: alunt et Lyrici.* — *Denique credamus summis oratoribus,  
qui veterum poemata, vel ad fidem causarum, vel ad ornamentum  
eloquentiae affumunt.* Unde etiam Romae collegia sua habe-  
bant poetae, in quibus convenire et carmina sua recitare so-  
lebant, quae quanquam potius exercendi ingenii atque ipsorum,  
quam aliorum causa instituta viderentur: in eos tamen, qui reci-  
tantes illos audiabant, haud parum commodi redundabat, si, data  
hac occasione, discerent, ubi suspendere spiritum debeant, quo  
loco versum distingueret, ubi claudatur sensus, unde incipiat,  
quando attollenda vel summittenda sit vox, quid quoque flexu,  
quid lentius, quid celerius, concitatius, lenius dicendum. Ce-  
terum de ipsis veteribus ICris tantopere meriti sunt poetae, ut ho-  
rum saepenumero maximo cum honore ab illis mentio sit facta,  
praesertim si de formulis et conceptis verbis sermo sit, aut quae-  
stio occurrat de more aliquo veteri, aut ubi de vocis alicuius signi-  
ficatu agatur, quod ex ipsis legibus satis superque potest  
cognosci.g)

## D 3

## §. IV.

f) Instit. orat. lib. I. c. 8.

1.65. D. de legatis. l. 236. de verb.

g) §. 2. Instit. de Iur. Nat. et Gent.

signif. l. 1. D. de contr. emt.



## §. IV.

*Variae eruditorum rationes ad leg. III. C. de Prof. et  
Med. proponuntur.*

Sed quo certiora poetarum de republica merita, et quo cariores ipsi et Ictis fuerunt, e quibus multi etiam ad poeticen animum adiecerunt, et Imperatoribus, e quibus, ut unum hoc addam, **IUSTINIANVS** b) ipse invidendo elogio Homerum *patrem omnis virtutis* appellavit, eo maiori admiratione dignum est, quod neque ab Augusto, neque ab alio quoquam Imperatore nisi ullum privilegium concessum fuerit. Praeter honorem enim, quo ab omnibus fere ornati sunt, quid ipsis aliud indulsum fuit, nisi gloria sola, carminibus comparata, quod uno ore profertur omnes? Ita enim **OVIDIUS**:

*Quid petitur sacris nisi tantum fama poetis?*

*Hoc votum nostri summa laboris habet.*

Conveniunt cum iis ea, quae **PAPINIVS** cecinit:

— — nos otia vitae

*Solamur cantu, ventosaque gaudia famae*

*Quaerimus.*

Idem **CICERO** i) testatur: *quid poetae? aiens, nonne post mortem nobilitari volunt? unde illud?*

*Aspice, o cives, senis Ennii imaginis formam.*

*Hic vestrum pinxit maxima facta patrum.*

*Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres afficerat gloria,  
idemque*

*Nemo*

b) *Const. de rat. doc. ius civ. §. I. 1.* i) *Tuscul. disput. lib. I. c. 15.*



*Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu  
Faxit, cur? volito vivu' per ora virum.*

Neque alium in modum scribit IVVENALIS: k)

*Contentus fama iaceat Lucanus in hortis*

*Marmoreis —*

Et paulo post:

*Gloria quantilibet, quid erit, si gloria sola est.*

Quid autem? Tantum abest, ut praeter hanc famam et gloriam solam poetis relictam, iis, velut aliarum artium doctoribus, privilegium ullum indultum sit, ut potius fanciverit PHILIPPVS:  
POETAE NVLLA IMMVNITATIS PRAEROGATIVA  
IVVANTVR.

Vnde haud superfluum laborem suscepserunt, qui, cum poetae apud Romanos in maiori laude ac dignitate, quam ceteri liberalium artium magistri fuerint, de ratione illius poetis tam adversae legislationis paulo diligentius cogitarunt. Quorum quidem varias de hac re sententias iam iuvat colligere, et hoc loco, ne videamur quid omisisse, censum eorum, qui ab Illustri PÜTTMANN O ET EISENHARTO iam sunt commemorati, instituere, in quibus quidem refutandis quoniam satis eo labore functi sunt viri eruditissimi, ne actum agamus, brevissimi sumus futuri. Qui autem primo loco positus, privilegiis, non quod iis indigni sint, sed quia lex deficiat, poetas carere existimavit CVIACIVS, l) is iure iam reprehensus fuit ab illustri PÜTT-

MVNNO

k) Sat. VII. v. 79;

l) In Commentar. ad C. h. t.



MANNO propterea, quoniam, quod quaeratur, rationis loco afferat, atque, ut in scholis vulgo loquuntur, principium petat. Et quomodo satisfaciet Cuiacius ceteroquin summus huic rationi, cum Imperatores, apud quos plurimum valebant poetae, haud facile passi essent, ut lex desiceret, et cum privilegia peritis carnum artium, quas ipsi profitebantur, adeoque propter merita concessa sint. Defenderunt hanc Cuiacii sententiam **A N T . F A -**  
**B E R** <sup>m)</sup> et **S C I P I O G E N T I L I S**, <sup>n)</sup> qui vel huius rationis rationem, quod poeticae olim honos non fuerit, tradiderunt. Disputavit adversus hos **ALBE R.** **G E N T I L I S** <sup>o)</sup>, qui quidem, cum privilegia liberalium artium professoribus concessa poetis quoque applicanda esse existimaverit, quoniam ista ratio, quamquam ingeniose excogitata, notissimis de interpretatione privilegorum, ne temere extendantur, regulis refragatur, satis eō nomine reprehensus est a viris doctissimis.

Prorsus aliam huius rei sententiam fovet **C A S P A R B A R -**  
**T H I V S**, <sup>p)</sup> qui veram rationem, cur ab omnibus privilegiis et immunitatibus exclusi sint poetae, in paupertate collocat, et ad sententiam hanc stabilendam e primis reipublicae romanae temporibus, quibus poetae laudes patronorum pro vieti celebraverint, argumenta depromit. At tantum abest, ut tristi hac et misera paupertatis sorte romani poetae omnes usi fuerint, ut potius in iis nobilissimos et divitissimos viros animadvertamus. Imo vero, etiam si in denegatis immunitatibus, a paupertate, poe-  
tis

<sup>m)</sup> In iurispr. tit. 32.

<sup>n)</sup> L. II, c. I, parerg.

<sup>o)</sup> Comment. ad Cod. h. t.

<sup>p)</sup> In adversariis.

tis plerumque propria, argumentum posset duci: succurrentem tamen ipsis privilegia, quibus in aliis legibus pauperes munitos deprehendimus. Propter paupertatem enim, teste **IUSTIANO**, q) excusationem tribui, tam *Divi Fratres*, quam per se *Divus Marcus* rescripsit. Quo loco, quoniam alias verum esse solet, quod vulgo tradunt:

*pauper ubique iacet,*

disertis verbis adiecit **THEOPHILVS**: ὡς εὐνέργειν καὶ πενίαν ἐπωφελῆ.

Denegatae poetis immunitatis rationem **FRANCISCUS AMATOR** r) proponit hanc, ut, cum nascantur magis, quam siant, contendar, divinum illorum spiritum et impetum, qui

*sacrae semina mentis habet,*

laudibus tantum contentum esse, adeoque nullum praemium aut privilegium maius dari potuisse divinae menti, quam laudes. Bene autem docuit iam **EISENHARTVS**, eos tunc privilegiis omnibusque omnino rebus eo magis exornari debuisse, quo iis signis honor atque existimatio, quam habebant, cognosci potuisset. Ex Ciceronis etiam pro Archia poeta oratione satis demonstravit **PÜTTMANNVS**, solum poetae nomen, quo Archias insigniebatur, non effecisse, ut Romani eum civitate donarent.

Vltimo tandem loco commemorandae potius, quam refutandae veniunt rationes in medium allatae ab **EVREMONTIO** s) et **EISENHARTO**, r) qui ideo poetas praemiis haud ornatos esse

q) §. 6. I. de excus, adde l. 7. et l.  
40. § 1. D. cod.

r) In comment. ad h. t.

s) Saint-Evremoniana p. 186. sq.  
t) In diss. cit. §. 8. sqq.



esse censem, quoniam nullius sint ad rempublicam utilitatis: quibus quidem, quoniam et supra de poetarum in rempublicam meritis quaedam disputavimus, et vero etiam eruditissimus PÜTTMANNVS elegantissime demonstravit, hac posita ratione, pictores, qui, si non minorem, certe haud maiorem, quam poetae, utilitatem reipublicae praestant, nullis praemiis excitandos fuisse, neque etiam malum poetarum usum arti ipsi detrimenti quicquam asserre posse, diutius non immoramus.

### §. V.

#### *Proferuntur aliae eruditorum sententiae.*

Progredimur potius alienis vestigiis insistentes, quo e nostra supellecili, curta licet ac tenui, non nihil proferamus, ad alias rationes, quas a viris doctis traditas diligenter concessimus: quarum in numero primum locum tenet ea, quam memini me legere propositam a CORNELIO VAN ECK u), qui causam dehengatae poetis immunitatis in susceppta a Philippo Imp. religione Christiana reperisse existimat. In condenda lege, inquit, poectico ordini tam adversa in consilium adhibuit Philippus perfusionem illam popularem, quae illis temporibus animos Christianorum occupaverat, lectione scilicet poetarum, qui nil nisi deos, et profana deorum fictionum sacra canere et spirare videntur, corrumphi et depravari animos Christianis veri Dei mysteriis initiatos, qui ne hoc pestilentie sidere afflarentur, poetas in odium adducere voluisse videtur Imperator

u) In orat. de studio poetice coniungendo cum studio iuris p. 31. seq.

*rator Christianus.* Quid autem de illa veterum opinione, quae arrisit vel eruditissimis viris, statuendum sit, id ex iis, quae statim in principio de ea re exposuimus, satis appareat. Praeterquam quod rerum gestarum monumenta non adeo firma, quam ut ex iis Philippum religioni Christianae nomen vere dedisse, probari possit, haud bene consulaisset Philippus ipsis e Christianis iis, qui in carminibus componendis operam suam collocabant, si hac ratione ductus, poetas omnes, nullo discrimin'e habitu, privilegiis indignos censueret. Reprehensius eo nomine ille fuit ab EVERH. OTTO N E, <sup>x)</sup> qui eum oratorie lusisse dicit, et Servii <sup>y)</sup> auditorate fultus rationem acerbae illius constitutionis in eo possum fuisse contendit, quod nullam artem praemiis dignam esse Roman'i censuerint, nisi quae reipublicae aliquid commodaret. Ista enim ratio, etiam veri speciem prae se ferat, mihi quidem propterea locum sibi vindicare haud posse videtur, quia non convenit cum iis, qui, quamquam hand plus utilitatis reipublicae praestent, privilegiis tamen ornati sunt, ut pictoribus, ut artificibus, aliisque. Et profecto ista ab Ottone adducta ratio omnem scrupulum ipsi haud videretur exemissa dubitant: *an, quia pauci semper poetae boni?* *an quia tot ex aureo Augusti seculo melioris notae extabant poetarum scripta?* *an denique, quod poeta nascitur, nec doceri solet?* Illud ipsum, quod sola natura poetas faciat, et quod poesis, quae divino beneficio nobiscum nascitur, et privata cuiusque opera ac diligentia excolitur, haud doceri possit, videretur etiam de-

E 2

negatae

<sup>x)</sup> De aedilibus coloniarum et <sup>y)</sup> Ad lib. VI. Aeneid, v. 660.  
municipiorum cap VI. §, V. p. 188.



negatae poetis immunitatis ratio fuisse CORNELIO VAN ECK  
et EISENHARTO. Quid vero? nonne eandem ob causam eo  
magis poetae excitandi, et quo eo maiorem in ingenii excelen-  
tia operam ponerent, ad exemplum aliarum artium privilegiis or-  
nandi fuissent, praesertim cum, qui, favente Minerva, prodibant poe-  
tae, ii in municipiis omnibus privilegiis atque immunitatibus frue-  
rentur, quemadmodum ostendit CICERO pro Archia poeta et re-  
legatus ad Tomitas OVIDIUS z) de se ipso:

*Nec mihi credideris: extant decreta, quibus nos  
Laudat, et immunes publica cera facit.  
Conveniens miseris, et quanquam gloria non est,  
Proxima dant nobis oppida munus idem.*

Cur solis in municipiis igitur poetis ea beneficia indulta sunt?  
Sed prorsus elegantem, ut more suo, rationem expromit PÜTT-  
MANNVS, dum scribit, fuisse nimium poetarum proventum et dif-  
ficultatem inde oriundam, permagnum poetarum exercitum privilegiis  
cumulandi, veram causam, cur ea generatim potis negentur. At  
quanquam bene se habent, quae a praecoptore aeternum venerando in hanc rem elegantissime disputata sunt, nihil esse facilius, quam  
malum aliquod pangere carmen; tamen, quod pace summi huius  
viri dixerim, qui possit stans pede in uno versus dictare ducentos,  
non statim salutandus erit poeta.

*Neque enim concludere versum  
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,  
Sermoni propriora, putas bunc esse poetam.*

*Ingenium*

z) Lib. IV. ex Ponto el. 9. v. 101.

ꝝ

*Ingenium cui sit, cui mens divinior, osque  
Magna sonaturum, des nominis huius honorem,  
quod non nisi paucis naturae beneficio concessum esse videtur,  
cum conta, docente ipso HORATIO, a) multi sint, qui, poeta-  
rum nomen iactantes, medio in foro scripta recitent.*

### §. VI.

*An in Sophistarum numero poetae fuerint,  
disquiritur.*

Expositis variis eruditorum rationibus, antequam nos quidem, quam sententiam potissimum amplectamur, ostendimus, haud superfluum existimamus, de Sophistis, quibus leges immunitates concederunt, quoniam poetae etiam eo nomine insigniti videntur, nonnihil disputare. Scribit MODESTINVS b): *grammatici, sophistae, rhetores, medici, qui περισσευται, item circulatores vocantur, quemadmodum a reliquis muneribus, ita et a tutela requiem habent.* Apud Graecos certe omnino poetae appellati fuerunt sophistae propterea, quoniam, quemadmodum philosophi, optima quandam virtutis ac morum praecepta tradebant. PHILOSTRATVS c) quidem: *Sophistas, inquit, veteres appellant non tantum eos, qui eximii in dicendo erant, verum etiam ex philosophis, qui facunde animi sensa exprimerent, qua de re audiendum est FABIVS.* d) At vero de

E 3

poetis,

a) Lib. I. Sat. IV. v. 39.

b) L. 6. D. de excus. mun.

c) In prooem. de vit. Sophist.

d) In prooem. Inslit.

poetis, qui sub Sophistarum nomine veniebant, diserte loquitur DIOGENES LAERTIVS e): Θάττον δέ, inquiens, ἐκαλεῖτο σοφία, καὶ σοφός ὁ ταῦτην ἐπαγγειλέμενος· Φιλόσοφος δέ ὁ σοφίαν ἀσπεζόμενος: εἰ δὲ σοφὸς καὶ σοφίσαται ἐκαλεῖτο. καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ σοφίσαται: καθά καὶ Κρατῆνος ἐν Αρχιλόχεις τεῦς περὶ "Ομηρὸν καὶ Ήσίαδον ἐπαινῶν, σύτως καλεῖται. Bene ad hunc locum confirmat AEGID. MENNAGIVS f), Graecos omnes, qui in arte aliqua excellerent, σοφές vocasse, Sophistarum nomine etiam ad sapientes et alios translati, ad significandos illos homines, qui pompam ac gloriam potius, quam veram sapientiam seellantes vanis verborum argutiolis discipulos decipiebant: quemadmodum CICERO g) de Anaxagora: at quis est hic? inquit, num Sophistes? Sic enim appellabantur, qui ostentationis ac quaestus causa philosophabantur. Praeterea, quod poetae olim hac sophistarum appellatione salutati sint, potest vel ex elegantissimo illo ANACREONTIS in rosam Odario cognosci:

Τί δ' ἄνευ ρόδου γένοιτο ἄν  
Ροδοδάκτυλος μὲν Ἡώς  
Ρεδοπικήες δὲ Νύμφαι  
Ροδόχεις δὲ κ' Αφροδίτα  
Παρὰ τῶν σοφῶν καλεῖται

ubi σοφοὶ poetae dicti sunt. Et apud PINDARVM Isthmiorum Ode V. legitur:

μελέταν

e) In proem.

f) In annotat, ad Diog. Laert.

g) Quaeſt, acad, lib. II. c. 23.

\*—\*—\*

μελέταν δέ σοφιστές  
Διὸς ἐκατι προσθάλλεν σεβιζόμενοι,

ad quem locum ipse Scholia stes id annotavit: *σοφιστές δὲ σοφὸς ἔλεγον τοὺς ποιητὰς.* Iam vero si certum est, sophistarum nomine venisse etiam poetas, haud immerito quaeri posset, num et hi eo nomine comprehendantur iis in legibus, in quibus illis immunitates concessas reperimus. Ast cum Sophistarum nomen, quo promiscue usi sunt *Icti*, adhibitum sit de iis, quos aut romanæ aut graecæ eloquentiae doctrina commendabat, et cum *M O D E S T I N V S*, legis excitatae auctor, qui rei poeticae ipse operam navavit, Sophistas hoc loco per rhetores explicaverit: facile intelligitur, hanc legem, qua Sophistis immunitas indulta fuit, ad poetas nullo modo posse extendi. Neque dubitare quisquam debet, quin poetarum, quos ipse diligebat Modestinus, mentionem hoc loco fecisset, si ullis eos privilegiis scivisset esse decoratos.

### §. VII.

*Adducuntur nostrae ad legem III. C. de Prof. et Med. rationes.*

Vltimo tandem loco, cum contraria potius illa poetis constitutio: **N V L L A I M M V N I T A T I S P R A E R O G A T I V A I V - V A N T V R**, a PHILIPPO Imp. condita omnia alia doceat, nescio, an in tanta rei, quae solis coniecluris innititur, obscuritate et sententiarum vel ab acutissimis romani iuris interpretibus prolatarum diversitate, nescio, inquam, plane, an audeam, quae mihi



mihi quidem de ratione adversae huius legislationis paulo diligentius cogitanti ea de re inter scribendum in mentem venerint, ea cum aequis harum rerum aestimatoribus communicare. Rationem autem, cur tam inique de poetis Philippus iudicaverit, haud unam, sed plures fuisse persuasum mihi habeo. Ac primum quidem observandum mihi videtur, quod penes latinos probatissimos maximum discriben intercedat inter *vatem et poetam*, qui differunt, ut maius et minus. Praeter enim quod *vatum* appellatione veniant excellentissimi quique in arte aliqua: potiori tamen iure illud nomen e poetis tributum est iis, qui caeteris in carminibus componendis praestabant furoris sacri inspiratione pleni: quemadmodum *poetae* nomine, qui scite fictis vera imitabantur, insigniti, et qui orationem numeris tantum ligare callebant, non *poetae*, sed *versificatores* nominati sunt. b) Illos imperitos igitur poetas et versificatores, qui ad carmina pangenda se dabant, artemque sacram profanis manibus contaminabant, et quos usitato poetarum, quod prae se ferebant, nomine, complexus est Philippus, videtur mihi tantum notasse, non nobiliores illos, qui nihil ad quaestum referunt, h. e. veros vates, qui, auctore CICERO, i) natura ipsa valent, et mentis viribus excitantur, et quasi divino quadam spiritu inflantur. Quare suo iure sanctos eos appellat Ennius, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati esse videantur. Illam ipsam animorum inflammationem et afflatum quasi furoris, sine quo

nemo

b) Vid. QUINTILIANVS Institut. i) Pro Archia poeta. c. VIII.  
lib. X. c. 1.

nemo bonus poeta, multo minus vates existere potest, iactat  
**OVIDIUS k)** verbis;

*Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.*

*Impetus hic sacrae semina mentis habet.*

**Et alio loco: l)**

*At sacri vates et Divum cura vocamur,*

*Sunt etiam, qui nos numen habere putant.*

Nam quod in poetae et vatis notione occurrit discrimen, eius  
 haud exiguum testem, qui istas appellationes bene distinguit, ha-  
 bemus **TACITVM m)** sic tradentem: *quis Salicium nostrorum  
 egregium poetam, vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum va-  
 tem, deducit, aut salutat, aut prosèquitur?* Unde in carminum  
 dedicatione non poetarum, sed vatum numero adiungi cupit  
**HORATIUS: n)**

*Quod si me lyricis varibus infères,  
 Sublimi feriam fidera vertice.*

**Et OVIDIUS:**

*Quotque aderant vates, rebar adesse deos.*

Quodsi vero haec cuiquam levia et nimis subtilia futura sunt, po-  
 tior ratio, quae Philippum ad immunitatem poetis denegandam  
 moverit, videtur nobis in ipso reipublicae ac poeseos statu, qui  
 tempore Philippi erat, quaerenda esse.

Cum

k) Fastor. lib. VI. v. 5.

m) Dialog. de orator. c. 9.

l) L. III. El. 9. v. 17.

n) Ode I. v. 35.



Cum enim, eo imperante, alia prorsus bonarum artium et disciplinarum facies esset, quam Augusti tempore, e quo coepierant Romani eas remissius aut negligentius tractare: an, quaeſo, aliud quid evenire poterat poesi, quam ut quo p̄raeſtantior ars ipsa, eo viliores atque abieſtiores eius cultores temporibus Philippi Imp. habitu fuerint, dum ſimiles parasitſ et convivia captantes poetae turpiter ſe dabant, et uti C A T V L L V S loquitur, *in triviis vocaciones quaerebant, artem ipſam proſtituendo.* Quibus rebus factum, ut tales homines effent, quales iam primis reipublicae romanae temporibus eos deſcribit Cato apud GELLIVM; o) qui- bus poeticae artis bonos non erat: ſi qui in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad convivia applicabat, graffator vocabatur. Certe recentiori aera te idem fere de suis temporibus teſtatus est STRADA; p) adeo deformia, inquiens, et foeda carminum portenta noſtra hæc aetas videt, adeo poſtremi quique poetarum tutulenti fluunt, bauriuntque de face, ut ſanctum poetæ olim nomen timide iam a bonis uſurpetur, perinde quaſi honeſto ingenuoque viro poetam ſalutari convicio ac debonēſtamento ſit. Ad quod accedebat odium, quo excipieban- tur a primoribus, quibus, dum hominum vitia deſcribendo faty- riſ ac contumelias certabant, nullo modo parcebant: quod et iſum fortalſe occaſionem praebuisse videtur Philippo immunita- tis denegandæ. Etenim cum vetuſtissimis reipublicae temporib- bus de ea re ſatis cautum fuerit in legibus XII. Tabul. SEI- QVEI PIPVLOD OCENTASIT CARMENVE CONDI-

SIT,

o) Noct. Att. lib. II. c. 2.

p) Proliſ, acad. L, I, prol. 3;

SIT, QVOD INFAMIAM FACSI, FLAGITIOMQUE  
ALTEREI: FVSTE FERITO, quo respexisse videtur H-  
RATIVS q) ita declarans:

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est

Iudiciumque — Et: r)

quoniam etiam lex

Poenaque lata, malo quae nocte carmine quenquam

Describi: vertere modum, formidine fuisse

Ad bene dicendum delectandumque redacti.

et cum satyrarum epigrammatumque licentia omnibus modis  
coercenda videretur: conscient sibi malefactorum Philippus, ne  
illud malum latius serperet, nova lege sanctiendum existimavit.  
Sed quae magis ad veritatis speciem accedit ratio, cur immunites  
poetis denegatae, et cur ab Imperatoribus, qui ante Phi-  
lippum tenebant imperium, et penes quos plurimum valebant,  
nullis plane privilegiis ornati fuerint, ea mihi quidem videtur  
fuisse haec, quod et iuris autores et ius ipsum acerime in car-  
minibus perstrinxerint: cuius quidem rei quanquam ex ipsis poe-  
tarum scriptis possint quam plurima documenta deponi: tamen, ne  
nimia proferentes lectoribus molestiam pareremus, uno aut altero  
tantum loco ex ipsis poetis id ostensuri sumus. Neque etiam  
ea repetere animus est, quae de causa exilii Ovidiani, et de cri-  
mine commissio varie tradiderunt eruditii, quoniam ea res diffi-  
culturibus laborat, nec firmis argumentis in tanta obscuritate  
nitur.

q) L. II, sat. I, v. 51.

r) Lib. II, Ep., I, v. 152.



nitur. Illud certum est, quod Lucanus, qui neque verbis neque factis adversus principem temperavit, famoso carmine et ipsum Neronem Imp. qui amicorum cohortui eum adiunxerat, et potentissimos amicorum gravissime proscidit, auctore S V E T O N I O. s) Idem resert, *Persium primo fibi, mox omnibus cum tanta recentium poetarum et oratorum infestatione detractasse*, ut etiam Neronem culpaverit. Et quis nescit versiculum in Neronem ab ipso compositum:

*Auriculas Afini Mida rex habet.*

Sed ut ex ipsis aureae aetatis poetis pauca tantum huius rei testimonia depromam: statim occurrit illud HORATII: t)

*Magna minorve foro si res certabitur olim;*  
*Vivit ute locuples sine gnatis, improbus ultro*  
*Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto*  
*Defensor, fama civem, causaque priorem*  
*Sperne, domi si gnatus erit, foecundave coniux:*  
*Ius anceps novi: causas defendere possum* —

Alio loco:

*Cum rapies in ius malis ridentem alienis:*  
*Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, cum volet, arbor.*

Et MARTIALIS, qui causarum patronos tantopere infestatur, Naevolum causidicum, ut unum solummodo eius exemplum ponam, eum in modum carpit:

*Cum*

s) In vita Lucani.

s) Lib. II. sat. V. v. 27.

~~~~~

*Cum clamant omnes : loqueris tu, Naevole, semper,
 Et te patronum causidicumque putas.
 Hac ratione potest nemo non esse disertus :
 Ecce ! tacent omnes : Naevole, dic aliquid.*

Et iterum :

*Carpere causidicus fertur mea carmina, qui sit,
 Nescio : si sciero ; vae tibi, causidice.*

*Facili negotio ex I V V E N A L I , P E R S I O , aliisque, si opus fo-
 ret, plurima huius rei exempla possent proferri, nisi iam per se
 admundum probabile videretur, hac poetarum acerbitate, qua
 ipsos Imperatores perstringere haud dubitabant, incensum, odio-
 que permotum Philippum facile fancire potuisse : POETAE
 N U L L A I M M U N I T A T I S P R A E R O G A T I V A I V V A N T V R .
 Atque hae quidem a nobis propositae rationes, si non ita com-
 paratae fuerint, quae uniuersis prorsus possint probari: satis am-
 plios tamen laboris nostri fructus nos tulisse profitemur, si certe
 aliquam nobis gratiam conciliaverint apud peritos harum rerum
 arbitros, quos, ut in quam obscura re, solis coniecturis innisa,
 studium nostrum collocatum fuerit, cogitent, vehementer ora-
 mus atque obsecramus.*

*Ceterum quid hac aetate in nimio isto proventu de nostris
 versuum conditoribus, qui in versiculis fabulisque scenicis scri-
 bendi, aut quaestus causa operam ponunt, aut, quo veniant in
 communionem literarum mulierculae, quorum iudiciis et laudi-
 bus*



bus florent belli homines, aliam prorsus rationem tenent, quid igitur in mutata hac nostrae a romana poesi facie de iis statuendum, id plane, ut ingenue fateamur, ignoramus. Sane enim, veremur, ne, dum in mentem revocamus, quod ab OVIDIO relatum legimus:

Saepe pater dixit: studium quid inutile tentas?

Maconides nullas ipse reliquit opes;

veremur, inquam, ne eveniat nonnunquam, ut opuscula illa una cum scriptoribus deferantur

*in vicum vendentem thus et odores,
Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis.*

Corrigenda.

P. 6 lin. 9 leg. e

8 — 10 — praecepit

14 — 17 — inquit

— — 21 — potius

— — — — decorum

15 — 19 — clausisse

18 — 8 — omnium

AD FRATREM
CAROLVM ADOLPHV M
STOCKMANNVM
PVBLICE DISPUTANTEM.

Iam mens calescit : pe^ctus inaeftuat :
Iam disputantem me calor abripit :

Et Musa, metro claudicante,
Tentat ab ore melos profundo :

Vos sancta grato dicite, dicite,
Novem Sorores, carmine gaudia

PARENTIS, expleri paterni
Spes animi calidas ovantis.

At nos amori, candidius nive
O pe^ctus alba, lilia ter Tuo
Olim remoti, ter rosarum
Puniceum iaciemus imbrem.



Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle
005 433 703

3



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

White 3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



14
DE POETIS
NON IMMVNIBVS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

D I S P V T A B V N T

F R A T R E S

AVGVSTVS CORNELIVS

I. V. D.

E T

CAROLVS ADOLPH. STOCKMANNI

N V M B V R G E N S E S .

LIPSIAE A. D. XI. MARTII MDCCCLXXIX

EX OFFICINA WALTHERIA

